Ordinatio Studiorum

in Provinciis

Austriaco-Hungarica et Germanica.

Libellus manuscriptus.

VIENNAE.
Sumptibus Prov. Austr.-Hung. S. J.
1909.

Ordinatio Studiorum

in Provinciis

Austriaco - Hungarica et Germanica.

Libellus manuscriptus.

VIENNAE.
Sumptibus Prov. Austr.-Hung. S. J.
1909.

Ordinatio Studiorum in Provinciis Austriaco-Hungarica et Germanica.

Prooemium.

1. S. P. Ignatius cum in Const. P. IV. c. 13. leges condit de modo et ordine tradendi scientias in Universitatibus Societatis, hoc statuit l. c. n. 2. principium atque fundamentum: „Quamvis pro regionum et temporum diversitate in ordine et statutis horis studio tribuendis possit varietas accidere, omnes tamen in eo conveniant, ut ubique fiat, quod inibi magis expedire ad maiorem in litteris profectum existimabitur“. Ac rursus l. c. Litt. A. praemonet, futuram rationem studiorum, per Generalem Praepositum approbandam, debere in praxi omnino locis, temporibus, personis accommodari, quamvis ad illam accedere, quoad eius fieri possit, conveniat.

2. Atque his principiis sapienti consilio obsecutae sunt etiam ultimae Congregationes generales, quibus promovendorum studiorum insignis cura fuit (cfr. v. g. Congreg. gen. XXIII. decr. 16. et Congr. gener. XXIV. decr. 24). Nominatim vero Congreg. XXV. decr. 12. 13. 14. de studiis inferioribus, superioribus, specialibus leges condidit maxime opportunas, quarum executionem Praeposito Generali ita commisit, ut is vel in ipsa ordinatione studiorum theologicorum (cfr. cit. decr. 14. n. 1.), salva unitate in substantialibus, eas concedere posset modificationes in rebus accidentalibus, ac potissimum in disci-

plinis positivis, quas singularum Provinciarum consuetudines et necessitates requirerent.[1])

3. Quamvis autem aliae in aliis Assistentiis vel etiam Provinciis eiusdem Assistentiae occurrant difficultates atque necessitates, nihilominus saltem in iis Provinciis vel Assistentiis, quarum eadem ferme est conditio, ex mente citat. decr. 12. n. 2., uniformis quaedam ordinatio studiorum videbatur esse conficienda. Quare, cum in Provinciis Austriaco-Hungarica et Germanica quoad difficultates et necessitates, commoda et incommoda, saltem maxima ex parte, eadem ferme habeatur conditio, hinc facile fieri potuit, ut pro iisdem Provinciis, salvis quibusdam exceptionibus minoris momenti, communis et uniformis ordinatio studiorum pararetur. Quae ordinatio, postquam cum P. Assistente, PP. Provincialibus, Consultoribus Provinciarum, Professoribus, qui huic operi magna cum diligentia et prudentia adlaboraverunt, mature fuit discussa; nunc demum in usum Provinciarum Austriaco-Hungaricae et Germaniae promulgatur, ita scilicet ut ab omnibus, ad quos spectat, perfecte quidem ac diligenter executioni mandetur, simul tamen animadvertatur, an quid ipso in usu occurrat, quod aut adjungendum aut in melius commutandum videatur. Cfr. Epist. A. R. P. Roothaan 25. Julii 1832. ipsius rationi stud. praemissam; apud Pachtler, Monumenta, t. II. p. 225 sq.

Caput I.

Normae generales.

4. In primis iugiter prae oculis habenda sunt ea, quae de *fine studiorum* in Societate, deque praecipuo medio ad eundem assequendum in Constitutionibus S. P. Ignatii praescripta sunt, nimirum doctrinae quae in Societate addiscitur hunc esse scopum, „suis et proximorum animis, Dei favore aspirante, prodesse“; (Const. P. IV. c. 5. n. 1.) medium vero ad hunc finem magis proprium esse „facultatem theologiae, in quam potissimum nostrae Universitates incumbere debent.“ (Const. P. IV. c. 12 n. 1.). — Ex quibus manifesto apparet, omnia in Societate studia ad *theologiam, tamquam* ad *metam,* esse dirigenda.

[1]) Cfr. quoque Epistol. A. R. P. Vicecomitis 22. Julii 1752. de ratione studiorum ad Prov. Poloniae, ubi idem principium adoptatur.

5. Porro in ipsa *studiorum distributione* sedulo curandum est, ut minime neglectis studiis ante ingressum in Societatem ab unoquoque legitime peractis omnia studia nostra iam inde a Novitiatu usque ad theologiam, seu ad biennium vel triennium peculiaribus disciplinis excolendis aut repetendis destinatum, rite ordinata habeantur, et apta connexione sibi succedant; idque valet etiam de formandis concionatoribus et magistris scholarum superiorum et inferiorum; nisi enim vigeat ordo quidam praefinitus et constans, quo singulis annis nonnulli ad hujusmodi studia deputentur, brevi profecto fiet, ut in aliqua Provincia apti concionatores et idonei magistri deficiant (Cfr. quoque Reg. 27. Provinc. in Rat. stud.).

6. Procul dubio expedit summopere, ut Scholastici nostri, qui simul sive ad litteras addiscendas, sive ad philosophiam vel theologiam applicantur, in quadam *aequalitate* inveniantur quoad curriculum studiorum antea peractum; nimia enim discrepantia inter discipulos ejusdem scholae multa parit incommoda, ac difficilem reddit docendi discendique laborem. Verum non usque adeo haec urgenda res est, ut etiam in philosophia e. gr., perinde atque in theologia usuvenit, duplex instituatur cursus, alter philosophiae cujusdam superioris, alter vero inferioris. Ipsa enim Societas, quae post primum et secundum annum philosophiae in suffragiis exigendis a magno rigore penitus est aliena,[1]) et nonnisi post tertium

[1]) Cfr. Congreg. Gener. XXII. decr. 35., ubi statuitur e quatuor examinatorum suffragiis sufficere duo asserentia examinatum attigisse mediocritatem, ut is a primo ad secundum annum (philosophiae) promoveatur, ut a secundo ad tertium gradum faciat, tria requiri. Quam mitem legem de examine philosophorum primi anni jam A. R. P. Aquaviva in sua „Ratione examinandi scholares Societatis“ a. 1589. hisce verbis praeformavit: „si qui forte scholares, dum absoluta logica examinantur, dubium redderent examinatorum judicium, iis possunt adhuc studia permitti, donec in decursu vel fine secundi anni subeant iterum examen“.

annum ad felicem examinis exitum postulat, ut a maiore examinatorum parte [1]) suffragium latum fuerit de superata mediocritate, satis indicat discipulorum divisionem in cursum superiorem et inferiorem, saltem regulariter, tertio philosophiae anno exeunte esse faciendam. Cui sapienti dispositioni etiam experentia suffragatur, quum de aptitudine et ingenii viribus ad studia superiora cum fructu paragenda, ut plurimum, non nisi in decursu philosophiae legitimum iudicium ferri possit. Quare scholae cursus philosophici neque ita comparandae sunt, ut paucis tantum praestantiori ingenio praeditis eaedem conveniant; nec vicissim ita, ut discipulis mediocris ingenii praecipue destinatae videantur; sed via quadam media incedendum est *(Durchschnitt)*, utroque extremo pariter excluso.

7. Quodsi iam de *duratione studiorum* sermo est, praestat in memoriam revocare illud quod Congr. gen. XXIV. decr. 24., Constitutionibus inhaerens S. P. Ignatii, edixit: „Iuxta unanime fere suffragium et praxim, quae hucusque in Societate obtinuit, quadriennium pro cursu theologico retinendum est.“ Hinc licet a compluribus viris doctis nostrae Societatis antiquo et recentiori tempore rationes allatae fuerint non levis momenti in favorem quinquennii theologici, tamen Societas ne unum quidem annum studiis theologicis longioris cursus adiiciendum esse consensit. Cfr. Pachtler, Monumenta t. II. p. 72. sq. — Ex quo facile perspicitur, quam *caute procedendum sit;* sicubi non iam unus annus scholasticus, sed forte complures anni, v. g. tres vel quatuor, atque adeo quinque vel sex *ordinario studiorum nostrorum curriculo* essent *addendi* vel in ipsis studiis humanioribus et philosophicis. Agitur enim de nonnullis annis in cursu vitae nostrorum Scholasticorum, qui citra necessitatem, imo cum valetudinis iactura ministeriis Societatis propriis eriperentur. Praeterea si studia Scholasticorum ante theologiam diutius protrahantur, v. g. per 12—14. annos, et nihilominus post philosophiam eidem Scholastici per 4 vel 6 annos in Collegiis detineantur,

[1]) Cfr. Congr. Gen. VII. decr. 33.; Congr. gen. VIII. decr. 37., Reg. 19. Prov. in Rat. stud.

necessario fiet, ut vix tandem vetuli, 30 annos et amplius nati, ad studia theologica inchoanda applicentur. Antiquitus vero, si rationem studiorum spectemus, octo annorum spatio quilibet Scholasticus studia humaniora et philosophica rite absolvere, ac per se quidem recta ad facultatem theologicam transmitti potuit. Facile quis concedet aetate nostra, ob maiorem amplitudinem materiae aliasque ob causas, ad integrum studiorum humaniorum et philosophicorum curriculum absolvendum spatium octo annorum exiguum videri, iisque unum alterumve annum convenienter adiici; at vero si res est de tribus vel quatuor, imo quinque vel sex annis ordinario cursui addendis, quibus praeterea fere totidem sequantur in Collegiis, profecto limites legitimi videntur esse violati.

Et quoniam mentio incidit de tempore, quod a Scholasticis nostris post philosophiam in Collegiis poni solet, generatim retinendum est, ultra 3 vel 4 annos illud tempus extendi non debere. Praeterea executioni mandari debent ea quae in Ratione Studiorum (Reg. 27. Prov.) habentur praescripta, nimirum de binis vel ternis vel etiam pluribus Scholasticis unoquoque anno proxime post absolutam philosophiam ad studia theologica applicandis. Quo facto, ipsa studia theologica non levia caperent incrementa; complures enim ad illa accederent in philosophia recens formati atque iuvenili vigore praestantes; praeterea qui studiis peculiaribus applicandi sunt, haec ipsa inciperent aetate non nimis provecta. Denique non est praetermittendum ex maturiore promotione ad sacerdotium illud etiam emolumentum percipi posse, ut scilicet habeantur in Collegiis plures iuniores magistri iam sacerdotio aucti (id quod praesertim in Austria et Germania, optandum omnino est), qui etiam tamquam perpetui magistri retineri possent, quemadmodum in Instituto praescribitur. Cfr. Reg. 24. 25. Provinc. in Rat. studiorum.

8. *Tempus* studiis tum humanioribus tum philosophicis et theologicis praefinitum adeo *scite distribuatur,* ut maximus inde fructus exsistat et quaevis temporis iactura ob inutiles repetitiones, ineptam methodum, irrationabilem or-

dinem studiorum devitetur; quod potissimum de quadriennio theologiae destinato dicendum est, quippe quod intra limites stricte necessarios contineatur. Addere quoque iuverit, theologos ceu viros iam maturos non nimis multis onerandos esse praelectionibus, praecipue vero in tertio et quarto anno; ac vicissim philosophis et iunioribus, qui regimine et instructione magis indigent, non tantam indulgendam esse praelectionum infrequentiam, ut parcius cum ipsis quam cum theologis agi videatur. Experientia enim constat, iuniores, si sibi plus aequo relinquantur, non adeo proficere; ita ut maior, dummodo non immoderatus, numerus scholarum, sub ductu idoneorum magistrorum, magis eos iuvet quam studium privatum nimis productum.

De tempore variis praelectionibus assignando illud praestituendum videtur, ut pro praelectionibus principalibus philosophiae et theologiae scholasticae, necnon theologiae moralis et S. Script. integra hora omnino retineatur; praelectiones vero scientiarum auxiliarium facilius ad tres quadrantes coarctari possint.

Porro in ipsa praelectionum distributione, sicut etiam in circulis, academiis scholisque singulorum arbitrio relictis disponendis, diligenter cavendum est, ne tempus nimis concidatur; gravis enim studendi labor, qui a Nostris exigitur, necessario sibi poscit diuturnum atque *continuum* tempus privato studio assignatum. Quam ad rem S. Ignatius Const. P. IV. c. 6. n. 14. admonet „artium et theologiae studiosi potissimum, sed et reliqui, suum habeant privatum studium et quietum, quo melius et exactius ea quae tractata sunt, intelligant“.

9. Quamvis *disputationes scholasticae*, quae in circulis, sabbatinis, menstruis fieri solent, omnino sint retinendae iuxta Rationem studiorum et sana principia paedagogica ab ipso B. Petro Canisio tantopere commendata; curandum tamen est, ut earum numerus sit numero Scholasticorum consentaneus, sintque eaedem congruo tempore assignatae, serio solideque a discipulis habitae, prudenter ac scite a professoribus directae, atque ita in primis *qualitative* per-

ficiantur; secus habetur gravissimum illud incommodum experientia comprobatum, quod Scholastici in difficultatibus pro circulis conquirendis magnam faciant temporis iacturam, solidae autem investigationi doctrinae scholasticae et ponderis argumentorum non satis vacent, cum tamen huic potissimum sit insistendum.

10. Plurimum interest, ut *Praefecti studiorum* suo munere rite fungantur diligenterque invigilent, ut tam discipuli quam professores suis officiis satisfaciant, studia floreant, nec ulli abusus admittantur. Quem in finem illa *auctoritate* utantur, quae ipsis a Constitutionibus (P. I. c. 17, n. 2.) tribuitur atque in eorum regulis enucleatius evolvitur. Quo vero omnia magis ordinate procedant, memores sint tum discipuli tum professores debitae a Praefecto studiorum dependentiae. — Scribant etiam singuli Praefecti studiorum initio cuiusque anni ad Generalem Praepositum, ad provincialem vero bis in anno, sicuti in Instituto de Cancellario Universitatis, cuius munere Praefecti studiorum funguntur, statutum est. Cfr. Form. scrib. n. 22; Const. P. IV. c. 17. n. 2.

11. Singulari nostris temporibus vigilantia Superiorum opus est et imprimis ea, quae in Instituto de „securiori et magis approbata doctrina“ in quavis facultate sequenda (Const. P. IV. c. 5. n. 4.) praescripta sunt, fideliter observentur. Speciatim vero Provinciales, Rectores, Praefecti studiorum invigilent executioni eorum quae „de retinenda Sancti Thomae doctrina“ cum utriusque decreti 15. et 18. Congreg. gen. XXIII. commendatione in Leonis XIII. Litteris Apostolicis „Gravissime nos“ continentur (Cfr. Congr. gen. XXV. decr. 6. n. 1.) nec non quae de vitandis modernis erroribus, praesertim biblicis a Pio X. proscriptis etiam in litteris die 18. Ian. 1908. ad universam Societatem a me datis inculcantur.

12. *De libro textus* a Provinciali designato praelegendo observentur ea, quae Const. P. IV. c. 14. et Congreg. gen. XXIV. decr. 24. n. 3. praescribuntur. Professores vero, qui prima vice praelegunt, ne se abripi sinant ab illo studio minus ordinato, quo facile impel-

lantur ad novos textus sive typographice sive lithographice edendos (quod iam A. R. P. Beckx admonuit); sed antea librum textus ipsis praescriptum diligenter exponant et per commentarios bene ordinatos, solidos, auditoribus accommodatos opportune illustrent. Quamvis autem optandum sit, ut Professores nostri ad libros textus parandos aliaque opera conscribenda animum adiiciant; cavendum tamen est, ne librorum vel tractatuum singularium conscriptione praecipuum parandarum praelectionum studium detrimentum capiat. Qui scribendi labor non magnam meretur laudem, si totus eo denique spectet, ut sine nova luce nova compendia proferantur in lucem.

13. Neque item probandi sunt Professores illi, qui propriae disciplinae unice insistentes, ceteras omnes parvi facere videntur atque ad eas negligendas, indirecte saltem, discipulis ansam praebent; ii nempe non attendentes, uti decet, ad diversarum disciplinarum dignitatem, necessitatem et mutuam inter sese connexionem, id sibi praestituunt ut omnes et singulos discipulos eximios doctores reddant in propria disciplina. Quam ad rem probe intelligenda sunt verba eximii Suarezii dicentis: Sane optandum esse, ut unusquisque Societatis filius in unoquoque disciplinarum genere excellat; at cum id fieri nequaquam possit, curandum esse, ut ipsa Societas in omnibus emineat, quatenus scilicet in diversis disciplinis ad ipsius finem conducentibus viros habeat egregie excultos.

14. Denique in studiis nostris uniformitas per diversas Provincias non est negligenda, neque unice insistendum, ut dici solet, necessitatibus et consuetudinibus propriae Provinciae, quarum nomine abusus interdum potius quam usus legitimi praetenduntur. Porro cum in Societate nostra ex legibus Instituti magnopere urgeatur uniformitas doctrinae et disciplinae saltem in substantialibus, hinc in aliqua Provincia non est introducenda ratio quaedam studiorum, quae si cum aliis comparetur, sit plane singularis. Quae res potissimum valet de omnibus illis studiis, quae directe ordinantur ad examen pro gradu, quod, cum in universa Societate uniforme esse oporteat, nequit pro diversitate Provinciarum ab aliis atque aliis conditionibus, studiis, disciplinis dependere.

Caput II.

De studiis ante ingressum in Societatem absolvendis.

15. Qui ceu Scholastici in Societatem admittuntur, praeter reliquas qualitates requisitas, ut plurimum ii esse debent, qui mediocritatem ingenii haud parum superent; quod S. Pater clare innuit, cum in Const. P. IV. prooem. litt. A. scribat, admittendos esse „iuvenes, qui bonorum morum et ingeniorum indole spem facerent, quod in probos simul ac doctos viros, ad colendam Christi Domini nostri vineam, essent evasuri“. Quodsi in casibus particularibus ab illa norma videatur esse recedendum, Novitii admittendi saltem ad mediocritatem ingenii pertingant, in rebus agendis discretione polleant atque aliis bonis dotibus praesertim probitate et firma constantique voluntate defectum perfectioris ingenii compensent. Cfr. Const. P. I. c. 2. n. 6. P. IV. c. 4. n. 2., P. V. c. 2. n. 5.[1])

16. Licet *examen*, quod dicunt, *maturitatis*, ante ingressum in Novitiatum feliciter peractum multum sit exoptandum, quotiescumque sine gravibus difficultatibus haberi possit, v. g. in aliquo ex nostris gymnasiis; tamen nequaquam ut necessaria conditio admissionis in Novitiatum est exigendum, praesertim si studiorum causa in publicis gymnasiis ulterius peragendorum iuvenum moribus atque adeo ipsi fidei grave immineret periculum. Generatim igitur admitti possunt ii, qui sextam classem gymnasii in Austria absolverunt; vel qui in Germania, secunda inferiore persoluta, attestationem consecuti sunt, qua quis ad militarem delectum sponte subeundum idoneus

---

[1]) Cfr. quoque Epist. A. R. P. Brzozowski 30. Mart. 1817. ad P. Leblanc, Superiorem Nostrorum in Belgio, de candidatis mediocris ingenii ab ingressu in Societatem non simpliciter prohibendis junct. aliis documentis de eadem re in libro Rectoris Collegii Exatensis, cui titulus: Ordinationes perpetuae Praep. General. etc.

censetur; ista enim norma respondere videtur regulae in Congr. gen. XX. decr. 12. statutae, qua edicitur: „Ut non admittantur in Societatem nisi vere apti, et ut plurimum, qui rhetoricam absolverunt, nec sine examine, aut non bene probati.“

17. Graves ob causas a Consultoribus recte probatas, in Provincia Austriaco-Hungarica admitti etiam possunt iuvenes post quartam classem gymnasii, non tamen ante decimumquintum aetatis annum expletum, et praeterea sub sequentibus conditionibus:

a) ut veram prae se ferant vocationem ad Societatem;

b) ut praediti sint bonis moribus bonaque indole atque eo ingenio, quod mediocritatem haud parum superet;

c) ut ex attestationibus legitimis rite constet illos inter meliores scholares recenseri et plusquam mediocriter instructos esse eo doctrinae gradu, qui post absolutam quartam classem gymnasialem exquiritur.

18. Admitti etiam poterunt iuvenes bono ingenio praediti, qui prodeunt ex gymnasiis realibus, vel scholis realibus, quas vocant, dummodo tantam linguae latinae et graecae notitiam antea sibi comparaverint, quanta requiritur ut studia humaniora in Va classe gymnasii cum fructu prosequi possint. — Maxima vero cautio cum iis est adhibenda, qui *studia privatim* peregerint, neque ulla examina publice subierint; hujusmodi enim non nisi rarissime et graves ob causas in Novitiatum admittendi sunt. Quae norma potissimum valet de artificibus privatim instructis, qui forte vix ea sciunt, quae ad quartam classem gymnasialem requiruntur; horum namque acceptatione deprimitur conditio nostrorum Scholasticorum, excitatur invidia et desideria accenduntur parum rationabilia in fratribus laicis.

Caput III.

De studiis in Novitiatu permissis.

19. Studia ex professo peragenda in Novitiatu haberi non possunt; idque ad primum annum quod attinet iure communi Ecclesiae vetitum est. Atque neque secundo

probationis anno studia sunt Novitiis indiscriminatim permittenda (Cfr. Congr. gen. II. decr. 14. Congr. gen. XX. decr. 12.), ne forte formatio spiritus nostris temporibus maxime necessaria detrimentum patiatur; quare nunc potissimum urgenda est practica exsecutio citati decreti 14. Congreg. gen. II., quo praescribitur, ut Novitii biennii tempore bene *probentur*, „non litterarum, sed mortificationis ac profectus spiritualis studio“.

20. Ex his tamen minime sequitur, scholam illam, quae ad exercitium atque ingenii experiendi causa etiam in Novitiatu instituitur, perfunctorie fieri posse atque pro forma tantum; nam ipsa tironum recta formatio postulat ut, quamvis eadem iuxta superius dicta veri nominis schola nequeat censeri, neque etiam ut merum exercitium mortificationis evadat, sed serio fiat, atque ita ut Novitii omni cum diligentia in eam incumbant, et verum fructum ex ea percipiant. Quod fiet, si in primis idoneus ipsis magister designetur, qui apta methodo scholam dirigat ac de uniuscuiusque talento, quod per eam occasionem subinde rimari poterit, Superiores informet. Huiusmodi porro munus, si commode fieri potest, Socio Magistri Novitiorum erit conferendum; secus vero, alicui ex professoribus litterarum humaniorum, qui domi sunt vel proxime commorantur, committi potest.

21. Scholae, tam primo quam secundo anno, solis diebus ferialibus, feria quinta excepta (Cfr. Reg. 62. Mag. Nov.), circiter per tres quadrantes, nec ultra horam, haberi possunt. Materia vero, circa quam versabitur haec schola, erit lingua vernacula, itemque linguae classicae, sive per repetitionem eorum, quae iampridem in illis didicerunt, v. g. grammatica latina et graeca, sive per lectionem SS. Patrum et antiquorum auctorum ecclesiasticorum, quorum opera sunt facilia et bene conscripta v. g. S. Ambrosii, S. Augustini, Lactantii, S. Chrysostomi, Eusebii et similium, item S. Lucae in Evangelio et in Actibus Apostolorum graece conscriptis.[1]) — Scripta quoque exer-

---

[1]) Cfr. Reg. 8. Magist. Novit.; Reg. 9. Praef. lect. ad mens.

citia. v. g. extemporalia, exempla Mariana, magna cum utilitate accedere poterunt. — Quodsi numerus Novitiorum, qui ex variis classibus gymnasii in tirocinium cooptati sunt, maior esset, quam ut per unam eamdemque scholam rite institui possint, tunc duae scholae habeantur, quo aptius magister sese accommodet ad gradum eruditionis iam antea acquisitae. — Ut autem haec schola finem suum assequatur, necesse est, ut tempus aliquod v. g. trium quadrantium vel unius horae, ad praeparationem Novitiis concedatur; cui quidem tempori illud quoque adtribui poterit, quod memoriae exercendae iam solet impendi, ne reliquis occupationibus tempus substrahatur. — In Provincia Austriaco-Hungarica, ubi plures vernaculae linguae necessariae sunt, Provincialis erit modum et ordinem praescribere, quo hae linguae iam in Novitiatu addiscendae sunt. [1])

22. Latine loquendi usus in Novitiatu omnino retineatur et urgeatur tum tempore silentii, si quid est interrogandum vel dicendum, tum recreationis tempore certis diebus, quibus colloquia latina praescripta sunt. Nec cuiquam ab hoc exercitio recedere liceat, etiamsi quis forte vulgarem regionis linguam addiscere velit. — Praeterea curandum est, ut Novitii sibi comparent rectam etiam linguae vernaculae pronuntiationem, discant bene e suggestu legere sive vernaculos sive latinos auctores, latinam linguam cum dexteritate quadam loqui, cumque facilitate non mediocri, sepositis minus urbanis moribus, brevem aliquem sermonem pronuntiare vel catecheticam instructionem habere. Porro ex fideli observatione eorum, quae hactenus dicta sunt de scholis et scholasticis exercitiis in Novitiatu rite ordinandis, illud certe sequetur, ut Novitii probationis tempore non modo ea, quae iam didicerant,

---

[1]) Reg. comm. 10.; Epist. A. R. P. Olivae 20. Iul. 1668. ad Provinciales Indiarum: „1. Omnes pro Scholasticis recepti ab ipso *Novitiatu*, ut alias inculcatum est, linguam Indicam accurato studio addiscere studeant. 2. Non admittantur Scholastici ad scientias superiores, nisi habito prius examine satis instructi in linguae Indicae familiari usu inveniantur".

non obliviscantur, sed etiam, sine detrimento spiritus, veros progressus faciant, ad reliqua studia totamque vitam perutiles.

23. Quod vero attinet ad Novitios iam secundo probationis anno applicandos, discrimen faciendum est inter eos qui sacerdotes ingressi sunt in Societatem, et reliquos omnes, etiamsi gymnasium integrum vel etiam altiora studia peregerint. — Quoad sacerdotes in Appendice prima dicetur. — De reliquis vero illud generatim observandum est, ut per duos integros annos in Novitiatu retineantur, nec ullis studiis vel rhetoricae vel humanitatis applicentur sive id fiat eos in alia Collegia mittendo, sive eos in Novitiatu retinendo, ita scilicet ut praelectiones cum Rhetoricis audiant, reliquum vero tempus cum Novitiis transigant. — Quae quidem ratio, ultimo loco assignata, praeterquam quod permixtionem induceret natura sua minus opportunam, a constanti et universali Societatis consuetudine esset aliena.

Enimvero multae gravesque rationes obstant, quominus in praxim deducatur, ut qui, examine maturitatis superato, ingressi sunt, regulariter secundo iam anno novitiatus cum quibusdam limitationibus ad studia applicentur. Tanta est enim necessitas solidae formationis in spiritu praesertim nostra aetate, ut non pauca Instituta religiosa praxim Societatis de biennio Novitiatus adoptarint; mirum igitur esset, si nos illam praxim saltem ex parte voluerimus labefactare. Imo, attenta nostrorum temporum conditione, exceptiones in casibus particularibus quoad studia in secundo anno novitiatus permittenda, maiore cum rigore et cautela sunt concedendae. Cfr. Congr. gen. II. decr. 14.; Cong. gen. XX. decr. 12. Porro, quotquot sunt periti Magistri Novitiorum, ii facile testantur nonnisi secundo anno Novitiatus in compluribus casibus a Magistro aequum iudicium de Novitiis dari posse. Hinc constans praxis erat non solum in Provincia Austriaco-Hungarica et Germanica, sed in aliis quoque Provinciis, Italiae et Galliae, ut etiam ii, qui sive gymnasium 8 vel 9 classium, sive lyceum absolverant vel gradum baccalaureatus ac-

ceperant, regulariter per integrum biennium in Novitiatu remanerent. Quae praxis etiam in posterum retinenda est. — Quia vero in casu illud potissimum spectatur, ut unius anni quaestus fiat, multo ad id aptius consilium esse videtur, ut hujusmodi Scholastici aut rhetoricae in primo anno philosophiae studeant, ut fit in Collegio Germanico, aut sicubi idonei iudicentur, *intra biennium* philosophiam absolvant, quemadmodum fit Romae et in Gallia.

Caput IV.

De studiis humanitatis et rhetoricae.

24. Qui examen maturitatis ante ingressum in Societatem subierunt, non sunt denuo in Societate ad studia humanitatis adigendi. Pro iis vero, qui post sextam (vel quartam in Austria) classem ingressi sunt, studia ita ordinanda videntur, ut Nostri in litteris latinis et graecis, in linguis vernaculis et saltem in Germania etiam in lingua hebraica,[1]) in historia cum geographia, in elementari mathesi et physica atque aliis scientiis naturalibus eundem gradum eruditionis attingant, qui in gymnasiis Austriae vel Germaniae a quolibet sacerdote vere culto requiritur. Cfr. Congr. gen. XXV. decr. 12. n. 5. At inde non sequitur talem gradum eruditionis eodem plane modo et ordine esse acquirendum, imo per examen publicum penes gubernii scholas comprobandum. Sunt enim variae viae et methodi, quibus eadem meta attingi potest; atque id cederet in dedecus et contemptum nostrae Rationis Studiorum, si tacite vel indirecte concederemus, per illam non posse adolescentes ad eumdem gradum doctrinae, imo etiam perfectiorem evehi, quam per methodos, quae in scholis gubernii usuveniunt.

---

[1]) Const. P. IV. cap. 13. Litt. B.· „Tres ordinarie erunt praeceptores in tribus diversis grammaticae classibus; quartus humaniores litteras, quintus rhetoricam praelegat, et in horum duorum classibus *graeca* lingua et *hebraica* et si *qua alia* disceretur, est praelegenda; „Cfr. etiam Monumenta Collegii Germanici et Hungarici p. 42. 122. 127. 128. 218.

25. Hinc ad eundem finem assequendum aliae in aliis Provinciis viae visae sunt ineundae. — In Provincia Germaniae ii, qui post sextam classem ingressi sunt, interim per duos annos in iunioratu a peculiaribus professoribus instruantur in omnibus disciplinis — elementari physica et mathesi non excepta, exclusa tamen rhetorica, — quae in hodiernis gymnasiis traduntur, ita ut ad eumdem saltem gradum eruditionis perveniant atque discipuli gymnasiorum.

26. In Provincia Austriaco-Hungarica, spectatis singularibus difficultatibus ex linguarum diversitate occurrentibus, permittitur, ut cursus studiorum humaniorum pro Scholasticis nostris instituatur in variis Collegiis Provinciae et quidem in iis praesertim, in quibus etiam alumni ad statum clericalem ex professo se praeparant, nisi adsint speciales rationes in contrarium. — In Collegiis Scholastici scholas frequentent, sicut reliqui discipuli, quibus modestia et diligentia sua exemplo esse curent et octo classes absolvant. Qui in Provincia Austriaco-Hungarica propter graves rationes iam post quartam classem recipiuntur, in litteris humanioribus aliisque disciplinis, quae quintae vel sextae classi gymnasii respondent, in domo a publico gymnasio separato v. g. S. Andreae, convenientius instituentur, nisi diversitas linguarum vel speciales rationes aliam suadeant praxim. Etenim ad interioris hominis formationem melius conducere videtur, ne Scholastici nostri nimis iuvenes ad scholas cum externis mittantur. Huic etim consonat antiqua praxis Societatis, secundum quam nostri Scholastici grammaticam quidem domi docebantur, ad humanitatem vero et rhetoricam, quae magis supremis classibus moderni gymnasii conveniunt, addiscendam scholas cum externis frequentabant.

27. Si quis in quinta classe vel in alia sequenti non satisfecerit, sedulo investigandum erit, quae causa extiterit hujus infelicis in examine successus, an scilicet adversa valetudo, quae sufficientem praeparationem impedierit, an negligentia in studiis, an ingenii deficientia, aut quid simile. Inde porro iudicandum erit, utrum repe-

titio classis ipsi sit permittenda vel iniungenda, an potius v. g. ob ingenium infra mediocritatem reputandus sit adeo ineptus, ut saltem inter Scholasticos Societatis retineri non possit.

Examen maturitatis, quod ex recenti gubernii Austriaci dispositione facilius factum est, ita ut quivis Scholasticus etiam mediocri ingenio praeditus, sed vere diligens, si modo aptis utatur professoribus, illud intra legitimum tempus felici exitu subire possit, in fine octavae classis *generatim* ab omnibus Scholasticis exigi potest ac debet. Quae norma non habeatur tamquam absoluta conditio, sine qua nemo possit ulterius progredi ad studia nostra philosophica; sed unice servanda est tamquam *regula,* a qua nonnisi raro et iustas ob causas easque graves, iudicio Provincialis approbandas concedantur exceptiones. Qua in re per summum ius non est procedendum, sed extremum quodvis est devitandum, etiam propter sana principia canonica, ne religiosa vita ordinanda videatur per examen quoddam „Status" et secundum leges civiles, quae iuxta praxim S. Congr. EE. et RR. in statutis ordinum religiosorum non sunt adducendae. Praeterea Instituto nostro minus conforme videtur, quod via ad gradum fiat quodammodo dependens ab examine secundum praescripta gubernii facto. Quare studium, quo completa quaedam institutio gymnasialis acquiritur, probe distinguendum est a necessitate examinis maturitatis.

28. Diligenter curandum est, ut in Collegiis, ubi Scholastici nostri una cum saecularibus scholas frequentant, omnia serventur, quae in Instituto nostro de separatione et cura spirituali nostrorum iuniorum praescripta sunt. — Praeterea Praefectus Studiorum et professores dirigant Scholasticos nostros peculiari quadam sollicitudine tamquam filios Societatis, qui in eius spem adolescunt, eosque e. g. in academiis ad hoc institutis in iis, quae ad rationem studiorum deesse videntur, accuratius excolant. Quae si fiant, infelix successus Nostrorum in studiis gymnasialibus vix locum habere poterit.

29. Studium rhetoricae omnibus Scholasticis necessarium est, atque ita quidem, ut praecepta eloquentiae praesertim sacrae, theoretice agnoscant, eaque per idoneam lectionem et frequentem exercitationem rite applicare sciant. At difficilior est quaestio, quodnam potissimum tempus in praesenti rerum conditione huic studio assignandum sit.

30. Fatendum est rhetoricam convenientius tempore studiorum humaniorum tradi, quamvis etiam antiquitus dialectica simul cum rhetorica tradi consueverit; at nunc fere necessitas quaedam esse videtur, ut ea in philosophiam transferatur in iis regionibus, ubi omnes tam diuturna studia gymnasialia absolvere debent; neque enim consentaneum est, ut iis, qui gymnasialia studia absolverunt, nonus praeterea vel decimus annus studiorum humaniorum imponatur, cum non levi dispendio pecuniae, temporis, valetudinis. Sic etiam fiet ut, quamvis multo diuturnior quam antea evaserit praeparatio ad studia philosophica, nihilominus plerisque Scholasticis, etiam post factum examen maturitatis, facilius concedi possit integrum triennium ad philosophiam excolendam; quae res praeter compendium temporis uberiorem praestabit profectum in ipsa philosophia rationali et scholastica.

31. In Provincia Germaniae, ii qui examen maturitatis superaverunt statim post Novitiatum, alii vero post absoluta in Societate studia gymnasialia ad excolendam philosophiam transmittantur. Iis omnibus primo anno, loco matheseos elementaris, rhetorica stricte dicta, quae sola ipsis deest, tradatur per quinque circiter horas, quibus accedat unum exercitium practicum per horam habendum loco circuli mathematici. Praxis haec Romae in Collegio Germanico iamdiu recepta experientia comprobata est. Etenim alumni hujus Collegii nullum propterea damnum passi sunt in studiis philosophicis et varietatis causa scholam hanc primo anno gratam habent; in rhetorica vero non parum proficiunt, uti luculenter ostendunt alumni per plures iam annos in vinea Domini laborantes, tum sacerdotes saeculares, tum nostri, qui inter optimos con-

cionatores Provinciae Germaniae et Austriae merito recenseantur, licet numquam in Societate iterum rhetoricae studuerint.

32. In Provincia vero Austriaco-Hungarica, propter difficultates ex linguarum diversitate occurrentes, interim tentaminis causa toleratur, ut Scholastici, iuxta schema ex Provincia transmissum, studeant per integrum annum rhetoricae in illis Collegiis, in quibus antea studia gymnasialia absolverunt, servata tamen stricta separatione iuniorum non solum ab externis, sed etiam a Nostris.

Caput V.

De studiis philosophicis.

§. 1. De studiis philosophicis in genere.

33. In ordinando studio philosophico in primis efficiendum est, ut secundum decreta Sedis Apostolicae et nostram Rationem Studiorum illud dici possit ac revera sit studium philosophicum, atque adeo non qualiscumque philosophiae, sed philosophiae *scholasticae*. Quare philosophia scholastica constituere debet *principale* obiectum horum studiorum; quae vero tamquam accessoria superadduntur, sese habere debent instar scientiarum auxiliarium ad ipsius philosophiae scholasticae studium promovendum. Hinc in scientiis auxiliaribus ea omnia removenda sunt tum quoad materiam tum quoad methodum, quae ad hunc finem non conducunt, quin imo eidem impedimento sunt, cuiusmodi essent e. g. nimis multae res memoria tantum addiscendae.

Quo tamen minime vetatur, quominus Scholastici bene introducantur in legitimas methodos scientiarum positivarum nostra aetate tanto cum fructu usu receptas. Illarum enim ope et in istis scientiis solide acquirendis iuvabuntur et idonei fient ad detegendas fallacias, quibus plurimi hodiernis methodis abutuntur ad errores perniciosissimos divulgandos contra sanam philosophiam et fidem. Quare Nostri etiam practice in methodis illis scientificis applicandis exercendi sunt.

34. Illud etiam videtur fundamenti loco habendum, ut toto triennio, secundum antiquam Rationem Studiorum et praxim recentiorem a S. Congregatione Studiorum approbatam, singulis diebus, saltem regulariter, duae habeantur praelectiones de philosophia scholastica. Quod ipsum etiam in secundo anno praestandum est, ita ut in eo, sicuti in aliis duobus, philosophia scholastica principem obtineat locum. Physica vero elementaris non amplius omnibus Scholasticis denuo ex professo et modo consueto est tradenda, cum iuxta superius statuta eos qui ad philosophiam accedunt iam sufficienter per studia gymnasialia in physicis instructos esse oporteat, prout in quolibet sacerdote vere culto requiritur; ac propterea nullum denuo examen e physica in philosophia est subeundum. — Addendae autem erunt in logica praelectiones de critica historica et ad psychologiam rationalem accedet psychologia empirica. Porro cursus scientiarum naturalium, ut biologiae, chimiae etc. solide tradendi sunt, cum hae scientiae ad cosmologiam rite tractandam et intelligendam magnum habeant pondus atque momentum. — Denique in tertio anno historia philosophiae tradatur; principia quoque artis christianae et paedagogices exponantur. Etenim ars christiana ad philosophiam pertinet, quatenus per eam notio pulchri, quam ontologia considerat, ulterius evolvitur et expolitur; ars vero paedagogica pars est philosophiae practicae, eaque tunc oportune traditur, quando discipuli per universam philosophiam ac praesertim per psychologiam, theodiceam atque ethicam ad eam intelligendam melius sunt dispositi quam in rhetorica; insuper habetur per eam immediata quaedam praeparatio ad Collegia.

35. Denique prae oculis habendum est, hoc triennium philosophicum ordinari ad theologiam scholasticam. Cfr. Congr. gen. III. decr. 47. Qua ordinatione non solum perfectionis nihil amittit, sed imo ad perfectiorem gradum evehitur. Itaque cavendum est, ne nimis largo modo accipiatur ad instar scilicet praeparationis pro magisterio in Collegiis deinceps peragendo; inde enim studium philosophiae detrimentum caperet. Quare iam in antiqua Socie-

tate ad hujusmodi specialem et immediatam praeparationem magisterii post triennium philosophicum, sive pro litteris humanioribus, sive pro mathesi et scientiis naturalibus proprium quoddam tempus attribui consuevit, Cfr. Duhr, Bibliothek der katholischen Pädagogik p. 42; et decr. P. Aquaviva de formandis magistris mathematices a. 1593. A qua praxi nostra aetate non videtur esse recedendum, dummodo diversarum circumstantiarum ratio habeatur. Cfr. praxim Prov. Belg. et Angl. de studiis Namurcii, Lovanii, Oxonii.

36. Quod porro attinet ad *durationem* studii philosophici, spectatis temporum exigentiis et magno incremento materiae in philosophia tractandae, etiam post octo vel novem classes gymnasiales absolutas, *triennium* tamquam tempus *ordinarium* videtur esse retinendum. Idque non impedit, quominus in casibus particularibus aliqui biennio cursum philosophicum expleant, v. g. ii, qui ante ingressum in Societatem superato examine maturitatis iam per aliquod tempus philosophiae vel etiam theologiae operam dederunt, vel ante susceptos sacros ordines universum cursum Seminarii absolverunt, vel magno ingenio praediti sunt, vel iam provectae sunt aetatis.

37. Huiusmodi autem auditores qui *biennio* cursum absolvunt, primo anno operam dabunt logicae et ontologiae, cosmologiae vel philosophiae morali, additis fortasse chimia et biologia; altero vero anno psychologiae et theodiceae, philosophiae morali vel cosmologiae; aut pro praxi nunc in Belgio adoptata, si quidem sufficientem habeant formationem in logica et ontologia, statim ad secundum annum philosophiae accedunt, supplendo quae ipsis ex primo anno adhuc deessent. — Nec putandum est, tale biennium contrariari fortasse decr. 34. Congr. gen. XXII. Omnis enim interpretatio danda est in eadem suppositione et in oppositione ad biennium, quod per eam occasionem fuit abrogatum; secus quis contra legitimas interpretationis regulas inhaeret cortici verborum. Iam vero triennium statutum est in illa suppositione, quod non solum universa philosophia rationalis perfecte doceatur,

sed praeterea universa mathesis elementaris et superior, imo etiam physica et reliquae scientiae naturales. Itaque, si hae ultimae disciplinae penitus omittantur, patet contra sanam interpretationem esse, ut idem tempus retineatur, neque quidquam addatur. Ex altera parte biennium, quod Congreg. XXII. abrogavit, est plane diversum a novo biennio, de quo nunc sermo est, ut patet cuicumque legenti Reg. 3. Professoris philos. in Ratione Studiorum a P. Roothaan confecta. Nam in antiquo biennio ad solas 14 vel 15 praelectiones philosophicas accesserunt saltem totidem ex mathesi et scientiis naturalibus; e contra in novo biennio 28 vel 30 praelectiones soli philosophiae rationali attributae sunt, penitus fere omissis scholis de aliis disciplinis.

§. 2. De studiis philosophicis per singulos annos triennii distribuendis.

Annus primus.

38. In primo anno tradatur ab uno Professore *logica et metaphysica generalis* duabus quotidie lectionibus, matutina scilicet et vespertina pro more hucusque recepto. — Praeterea, postquam in logica thesis de testimonio humano applicata fuerit, h. e. in secundo fere semestri, ex consuetis novem lectionibus per singulas hebdomadas una lectio de *critica historica* habeatur, addito exercitio practico, quod locum occupet unius e circulis philosophicis. Quae lectio criticae historicae una cum exercitio practico a Professore logices danda est, nisi meliori modo per alium provideri possit.

39. Cum praeterea ad perfectiorem intelligentiam cosmologiae et psychologiae requiratur cognitio chimiae et biologiae, eaque non qualiscumque, sed ordinata ad studium philosophicum atque ita disposita, ut memoria non nimis oneretur, primo et secundo anno alternatim per tres circiter horas, vel solo primo anno per 5 horas in hebdomada tradatur *chimia et biologia,* additis a Professore chimiae vel forte potius a Professore biologiae aut histo-

riae naturalis nonnullis praelectionibus de *mineralogia, cristallographia, geologia.* Duo tamen in his studiis scientiarum naturalium animadvertenda sunt; 1. ut, quemadmodum iam dictum est, eadem ad philosophiam ordinentur; 2. ut ratio habeatur eorum, quae tempore studiorum gymnasialium solide iam tractata fuerunt, ne tempus inutilibus repetitionibus deperdatur.

40. Loco praelectionum ex mathesi elementari, per circiter quinque horas in hebdomada doceatur *rhetorica;* atque ex ea fiant exercitia practica per unam horam, quo tempore scil. habendus esset circulus mathematicus.

Nota. In Provincia Austriaco-Hungarica ut supra dictum est, tentaminis causa atque ob difficultatem linguarum ad tempus toleratur, ut post absoluta studia gymnasialia integer adhuc annus studio rhetoricae assignetur.

Annus secundus.

41. In secundo anno doceatur mane ab uno Professore per quatuor horas *cosmologia,* cui una lectio de *psychologia empirica* addatur a Professore psychologiae rationalis, vel forte potius a Professore biologiae, propter ipsam materiae connexionem et necessarium usum instrumentorum, quae in musaeo seu laboratorio biologico asservantur.

42. Alter Professor doceat vespere per quatuor horas universam *psychologiam rationalem.*

43. Praeterea, mane *aut* vespere, ubi chimia et biologia cum scientiis adnexis alternatim in primo et secundo anno traduntur, ter in hebdomada circiter tres quadrantes his disciplinis assignentur.

44. Cum vero Scholastici per has praelectiones secundo anno non videantur satis occupati, nec sufficientem numerum scholarum aut varietatem habere, hinc tertia schola addenda est pro uniuscuiusque facultate et ingenio. Quae schola non solum ad ipsorum arbitrium, sed etiam ex Superiorum ordinatione ipsis assignanda est. — Itaque per tres circiter horas selectis discipulis tradi poterit:

a) cursus *physicae* per modum introductionis ad cursum superiorem vel universitarium physicae, quocum etiam cursus matheseos superioris per duas circiter horas coniungi potest;

b) cursus *superior philologicus* praesertim linguarum classicarum, eadem ratione tradendus;

c) cursus superior *linguae hebraicae,* vel schola elementaris aliquarum *linguarum orientalium,* v. g. syriacae vel arabicae.

Annus tertius.

45. In tertio anno per quinque horas singulis hebdomadis unus Professor tradat ultimam partem metaphysicae specialis, i. e. *theologiam naturalem* sive theodiceam atque ad tramites ordinationis S. Congreg. Studiorum necnon ordinationis studiorum a P. Roothaan confectae, curet quoque explicare selecta quaedam opera Aristotelis et S. Thomae et speciales quasdam quaestiones pertractet; insuper discipulos dirigat ad repetitionem generalem atque ad studium quoddam complexivum et comparativum universae philosophiae, ut bene dispositi accedant ad periculum in universa philosophia faciendum.

46. Alter Professor quinquies in hebdomada tradat solide et ex professo universam *philosophiam moralem;* caveat vero ab utroque extremo, scl. ne nimis leviter quaestiones generales vereque philosophicas tractet, aut nimis facile eas ad theologiam moralem amandet; nec vicissim ita quaestionibus generalibus inhaereat, ut ad quaestiones speciales, quatenus ad ipsum spectant, (nec conferentiis socialibus iam praeoccupatae sunt) numquam perveniat.

47. Denique in tertia lectione post meridiem singulis diebus tradenda est partim *historia philosophiae,* partim vero *paedagogia* et *ars christiana;* atque ita quidem, ut historia philosophiae toto anno bis in hebdomada per horam doceatur, eaque non solum quoad partem historicam, sed praesertim quoad partem bibliographicam et doctrinalem; paedagogia vero primo semestri, et secundo

semestri ars christiana, utraque bis in hebdomada per horam. *Astronomia,* sive tertio sive secundo anno tradi *potest* iuxta horarium pro unaquaque Provincia approbatum.

Caput VI.

De studiis theologicis.

§. 1. De studiis theologicis in genere.

48. In ordinandis studiis theologicis illud ad instar fundamenti et principii teneri debet, ut in ordinario nostro cursu quadriennali theologia scholastica sit maneatque *principale* quidem, at non unicum obiectum, circa quod versetur discipulorum labor. Quare studium theologiae scholasticae sive theoreticae sive practicae non ita mentes absorbeat Scholasticorum, ut reliquae disciplinae theologicae, quorum cognitio saltem in unoquoque sacerdote vere culto requiritur, penitus negligantur, sed pro singularum dignitate et momento cum legitima temporis distributione excolantur. Cfr. Congr. gen. XXIV. decr. 24. n. 4. resp. P. Roothaan d. 7. Oct. 1837., quo declaravit limitationem cursus accessorii iuris canonici minime expedire. Vicissim pariter disciplinae secundariae et auxiliares theologiae intra ordinarium quadriennium non ita augeantur numero, frequentia atque varietate scholarum et academiarum etiam diebus festis et vacationum, tempore studii impensi, ut theologiae scholasticae atque quieto studio privato detrimentum afferant. Verumtamen ad *pleniorem* illarum disciplinarum cognitionem Scholasticis quibusdam selectis *post quadriennium* tempus opportunum est concedendum.

49. Ab extremis igitur hac in re est abstinendum. Quare teste experientia vix expedire videtur, ut per integrum quadriennium tres singulis diebus habeantur praelectiones de theologia scholastica. Cfr. P. Roothaan de S. theologiae studio promovendo Ordin. 15. Oct. 1847. apud Pachtler, Monumenta paedagog. t. IV. p. 548. sq. Similiter praelectiones de theologia morali et iure canonico ultra horas in nova ratione studiorum statutas non sunt extendendae. — At pariter cavendum est, ne studium disciplinarum secundariarum praesertim historiae ecclesiasticae et iuris canonici privato studio et arbitrio absque frequentatione scholarum relinquatur; secus enim vitari nequit, quominus hujusmodi studia penitus negligantur vel certe fiant modo inordinato et cum iactura temporis et periculo graviter errandi. Cfr. Pachtler l. c. t. II. p. 78. sq., p. 115. sq. et p. 117. n. 6 iunct. n. 1.

50. Praeterea animadvertendum est quadriennium nostrum theologicum etiam cursus longioris nequaquam eum habere scopum, ut in illo formentur iam doctores plane eximii theologiae scholasticae atque in disciplinis secundariis et accessoriis specialistae, qui vocantur. Neutrum enim intra cursum ordinarium theologiae fieri potest, sed longa annorum series diligentis studii requiritur, ut deinceps vel in unica disciplina theologica illa eminentia, de qua dictum est, obtineatur; atque adeo vel solum tentamen formandi eo tempore viros in disciplinis secundariis singulariter excultos grave detrimentum afferret studio theologiae scholasticae.

51. Cum ordinarius saltem cursus theologiae ad quadriennium sit coarctandus, sine dubio cavendum est, ne per abusum illud quadriennium fere reducatur ad triennium, v. g. si Scholastici incipiant primum annum theologiae elapsis iam tribus vel quatuor mensibus, vel studeant simul aliis rebus sive ex privato arbitrio sive ex praxi quadam non probanda v. g. ad praeparanda examina Status, cum violatione iuris communis, Instituti, Encyclicae Pii X., vel accipiant puncta examinis ad gradum adeo maturo tempore, ut quartus annus theologiae paucis mensibus absolvatur.

52. Quod ad examina attinet:

a) examina *theologiae scholasticae* cursus longioris (idem valet de examinibus e philosophia) cum infelici successu facta regulariter repeti non possunt, sed qui in hisce exâminibus non satisfecerunt, ipso facto privantur iure ulterius in studiis progrediendi in ordine ad examen

pro gradu, quemadmodum in ultima Congr. gen. XXV. decr. 14. n. 6. declaratum est, (salva tamen dispositione Congr. gen. VII. decr. 33. junct. Congr. gen. VIII. decr. 37. n. 5; et Reg. 19. § 8. 9. Provinc. in Rat. Stud.) Qua in re iam P. Roothaan a. 1836. ad postulatum Provinciae Siculae de secundo examine facile non concedendo iis, qui in praecedenti reprobati fuissent, ita respondit; „valde acceptum nobis fuit hoc postulatum. Itaque commendatum est Scholasticis nostris theologis aeque ac philosophis, ut serio sese studiis applicent suis, spem omnem deponant fore ut in illis progredi permittantur, nisi legitimo examine requisitum obtinuerint successum; multo minus alterum concederetur examen ad gradum illis, quibus primum non successit. Si quo casu graves ob causas exceptioni videretur esse locus, nullus directe ad nos recurrat, nec Provincialis ipse definiat neque ad nos referat, nisi re prius cum CC. discussa nullaque habita ratione intercessionum." A qua regula denegandi repetitionem legitimi examinis iis, quibus infeliciter successerit tum in philosophia tum in theologia scholastica cursus longioris, solus P. Generalis exceptionem concedere potest, ut iam a. 1621. et 1654. responsum est. Haec autem exceptio a P. Generali nec facile nec frequenter concedetur; nec nisi, praeter normas ex responso P. Roothaan a. 1836. servandas, hae quoque conditiones verificentur: 1. ut hujusmodi Scholasticus sit vere bonus religiosus, qui tali favore dignus sit;

2. ut bono ingenio polleat atque spem magnam de se faciat Provinciae, quod sive in gubernatione sive in magisterio sive in sacris ministeriis egregie sit se probaturus;

3. ut nullam culpam habeat in infelici successu sive ob pigritiam vel negligentiam sive ob alias occupationes sponte quaesitas, quae vulgo allotria vocantur;

4. ut in examine acceperit duo vota affirmativa contra duo vota negativa et Professores favorabile iudicium de ipso ferant.

b) Examina vero consueta ex *theologia morali* repeti debent, si non bene processerunt, donec quis in novo

examine satisfaciat neque quisquam sacris ministeriis applicandus est, nisi de sufficienti scientia constet, ut iam declaratum est 8. April. 1831. et 23. Febr. 1832. Quae repetitio examinis eadem lege fieri omnino *debet* ab auditoribus cursus brevioris et longioris theologiae, si quis in examinibus theologiae *dogmaticae* et *scholasticae* mediocritatem non *saltem attigerit;* secus enim ad sacros ordines promoveri non potest. Cfr. Congreg. gen. XXV. decr. 14. n. 6. 7.

c) Quaestio de examinibus ex *disciplinis accessoriis* vel secundariis in theologia subeundis hoc modo solvenda videtur, ut nova atque distincta examina non introducantur, nec etiam ea, quae dicuntur colloquia; sed quaedam materiae selectae illarum disciplinarum in consueta examina apto modo transferantur. Qua ratione quaestiones quaedam ex introductione generali et speciali in S. Scripturam ad examen primi anni ex theologia fundamentali pertinebunt; textus quidam insigniores S. Scripturae in aliis annuis examinibus theologiae proponi poterunt; imo in tertio anno theologiae aliquot propositiones v. g. decem de re biblica eodem anno explicatae et cum dogmate connexae materiae examinis annui inseri poterunt, de quibus in quarto quadrante semper ab uno examinatore v. g. Professore S. Scripturae interrogandum erit; item aliquae theses ex historia ecclesiastica, quae cum doctrinis dogmaticis v. g. cum infallibilitate et iurisdictione S. Pontificis magis cohaerent, prout iam fit Romae et in aliis Provinciis, propositionibus de theologia fundamentali inseri poterunt. — Variae quaestiones iuris canonici publici ad examen ex theologia fundamentali aptam materiam praebent; aliae vero quaestiones iuris canonici privati a moralistis praeoccupatae et nunc in compluribus Provinciis iterum scholae canonicae restitutae, v. g. quaestiones de censuris, de irregularitatibus, de iure sacrarum ordinationum et matrimonii, una cum aliis quaestionibus practicis iuris canonici examinibus ex theologia morali adscribendae sunt.

§. 2. De studiis theologicis per singulos quadriennii ordinandis.[1])

53. Universa theologia scholastica in quattuor partes videtur dividenda atque inter quattuor cathedras pariter distribuenda, sc.:

1. Apologetica sive theologia fundamentalis: de religione revelata, de Ecclesia, de S. Scriptura et traditione divina cum introductione critica et historica generali et illis partibus introductionis specialis in S. Scripturam, quae ad theologiam fundamentalem requiruntur.

2. Theologia dogmatica theoretica: de Deo uno et trino, de Deo creante et elevante, de Verbo incarnato, de gratia (et virtutibus), de novissimis.

3. Theologia practica sive moralis: de fine ultimo supernaturali, de actibus humanis aliisque tractatibus, qui fere continentur primo volumine P. Lehmkuhl; Cfr. P. Roothaan l. c. t. IV. p. 549. sq.

4. Theologia sacramentaria tum theoretica tum practica; Cfr. P. Roothaan l. c. t. IV. p. 549. sq.

54. Haec autem materia pro diversis suppositionibus, scl. iuxta numerum Scholasticorum et Professorum, pro facultate virium physicarum etc. diverso modo disponenda, quod attinet ad Provinciam Germaniae sequenti rationi distribuenda erit:

1. Theologia *fundamentalis* seu apologetica per primum et secundum annum ita doceatur, ut primo anno tradatur tractatus de religione revelata et de S. Scriptura cum introductione generali et aliqua parte introductionis specialis in libros historicos ad apologeticam requisitos; secundo anno tractatus de Ecclesia et Traditione.

2. Theologiae *moralis* materia supra indicata per duos annos scholaribus primi et secundi anni in unum collectis ab uno Professore scholastice seu scientifice ex-

[1]) *Nota.* Quae de studiis theologicis in specie ordinandis dicuntur, interim solum pro Provincia Germaniae statuta sunt, cum in Provincia Austriaco-Hungarica propter speciales difficultates res adhuc maturius perpendendae sint.

plicanda erit (Cfr. P. Roothaan l. c.); atque ita quidem, ut primo anno circiter prior pars voluminis P. Lehmkuhl, altero anno secunda pars primi voluminis eiusdem auctoris i. e. potissimum de virtutibus religionis et iustitiae tradatur, remissis quaestionibus disciplinaribus v. g. de iure liturgico et sacris ordinationibus, de matrimonio atque de censuris aliisque connexis ad cathedram institutionum canonicarum. Cfr. Pachtler l. c. t. 2. p. 78. sq. Cui Professori singulis annis sufficient quatuor horae vel quinquies tres quadrantes per hebdomadam.

3. Pariter *theologia sacramentaria* per duos annos iisdem Scholasticis primi et secundi anni ab uno Professore erit tradenda per quinque horas in hebdomada. At ne detrimentum capiant disputationes scholasticae de sacramentis, neve ex altera parte quaestiones morales et practicae nimis leviter et breviter tractentur, tempus ita est distribuendum, ut uniuscuiusque sufficiens ratio habeatur et utriqua certae assignentur horae: et quaestionibus quidem dogmaticis videntur quatuor horae assignandae, at quaestionibus moralibus una hora per hebdomadam. — Quaestiones disciplinares v. g. de sacramento matrimonii et ordinis ad cathedram institutionum canonicarum sunt amandandae, reservatis Professori de re sacramentaria potissimum disputationibus de poenitentia et similibus gravibus quaestionibus moralibus.

4. Tractatus omnes *theologiae dogmaticae* (de Deo uno et trino, de Deo creante et elevante, de Verbo incarnato, de gratia et virtutibus, de novissimis) tradantur scholaribus tertii et quarti anni simul coadunatis, ita ut uno anno unus Professor legat de Deo uno et Trino, alter de Deo creante et de novissimis; altero anno unus legat de Verbo incarnato et Mariologia, alter de gratia et virtutibus.

55. *De S. Scriptura et scientiis auxiliaribus.* Quoniam introductioni generali in S. Scripturam cum adnexis quibusdam quaestionibus ex introductione speciali satis provisum est primo biennio theologiae, non est cur propria schola introductionis specialis in S. Scripturam retineatur;

reliquae vero partes introductionis specialis aptum invenient locum inter quatuor vel quinque praelectiones de S. Scriptura in tertio et quarto anno theologiae. Quae praelectiones a duobus professoribus ita habendae sunt, ut unus priori semestri explicet per quatuor horas libros veteris testamenti, alter sequenti semestri libros novi testamenti; vel per duas horas unus novum, alter vetus testamentum, nisi aucto numero annorum pro cursu breviori, unus priore *anno* explicet per 4 horas novum testamentum, alter sequenti *anno* novum testamentum. Praeterea scholaribus tertii et quarti anni simul coadunatis alternatim tradatur uno anno *historia revelationis* et religionis necnon *archaelogia biblica,* altero vero anno *patrologia,* utraque per unam saltem horam in hebdomada.

56. Quoad *historiam ecclesiasticam* et *institutiones canonicas* potest servari praxis hucusque in Provincia Germaniae servata, qua Professores historiae ecclesiasticae et iuris canonici per vices altero quoque anno docent, et auditores primi et secundi anni quinquies in hebdomada per 50 minuta sive per tres quadrantes ad unam eamdemque scholam historiae ecclesiasticae aut iuris canonici accedunt post auditas praelectiones de theologia dogmatica et morali, praemisso tamen brevi interstitio saltem 10 minutorum. Porro in his disciplinis tradendis Professores omni studio curent, ut ad materiam sibi assignatam circumscribant praelectiones suas, recta methodo utantur, librum textus adhibeant ac sequantur, solidisque commentariis optima forma propositis illustrent, alia citius percurrendo, alia fusius explicando; singulis vero annis unam alteramve quaestionem resolvendo per modum paradigmatis disputationis historicae vel canonicae iuxta methodum vere scientificam factae. — Praeterea Professor historiae ecclesiasticae archaeologiam christianam tradat, Professor vero iuris canonici etiam explicet leges ecclesiasticas de instructione catechetica.

Nota. Horaria ultima ex utraque Provincia Romam transmissa *generatim* prout iacent interim approbantur.

Caput VII.

De studiis specialibus.

57. Completa quaedam ordinatio studiorum nostrorum carere nequit particularibus statutis de studiis specialibus (Cfr. Congr. gener. XXV. decr. 14. n. 8. 9.); secus enim teste experientia et ex ipsa natura rei non pauci Nostrorum hujusmodi studiis specialibus applicati ex biennio vel triennio vel quadriennio sibi concesso exiguum capiunt fructum et tempus non leviter perdunt.

58. Quare in fine antiquae et novae Rationis Studiorum scite inseritur „Institutio eorum, qui per biennium privato studio theologiam repetunt". Quae institutio, ut legenti patet, principaliter iis Scholasticis est destinata, quibus incumbit onus repetendi per biennium universam theologiam scholasticam. At postquam P. Aquaviva in aliis quoque disciplinis v. g. in rebus biblicis, iure canonico, mathesi tempus proprium ad studia specialia concedendum esse statuit, in antiqua Societate per complures Provincias studia illa specialia in propriis seminariis etiam ad philologiam et scientias naturales fuerunt extensa. Quae extensio biennii vel triennii imo etiam quadriennii ad alias disciplinas maxime nostra aetate est necessaria.

59. In hisce studiis specialibus etiam biennistae aliarum disciplinarum imprimis sedulo servent, quae in supra commemorata institutione reg. I. biennistis theologiae scholasticae sunt praescripta scl. praesertim omni diligentia curent, ne fervore studiorum solidarum virtutum amor intepescat.

60. Reliquae regulae in eadem institutione contentae, si minus ad litteram, certe ad mentem legislatoris et per modum directionis, in studiis quoque specialibus aliarum scientiarum laudabiliter observentur. Huc imprimis spectant, quae in cit. institutione reg. 4. sq. statuuntur. Maximi enim momenti est, ut unusquique biennista intra tempus concessum saltem in rebus substantialibus disciplinae sibi assignatae completam quamdam cognitionem scientificam acquirat, quae licet in singulis partibus ad culmen perfectionis nondum pertingat, tamen solidum quoddam et

ordinatum praebeat fundamentum ad ulteriores disquisitiones, ac nequaquam ad inconditas quasdam minutias coarctetur, aut circa unam alteramve versetur quaestionem specialem. Qua ratione v. g. biennista biblicus quaestiones introductionis *generalis* solide examinet ac deinceps potissimum studio speciali librorum sacrorum novi *aut* veteris testamenti cum disciplinis accessoriis incumbat. Similiter v. g. agat biennista canonicus, qui *universi* iuris ecclesiastici scientiam acquirere studeat.

61. Porro attentione dignissimae sunt l. c. reg. 5. sq., quibus biennistae monentur ipsorum studium non absolvi *lectione* librorum atque *notulis* faciendis, sed necesse esse, ut scripto componant monographias sive tractatus singulares, ordinatos commentarios ad idoneas praelectiones tradendas, item viva voce sese exerceant in scholis habendis vel dissertationibus sive orationibus academicis praelegendis. Probe enim considerent biennistae, secundum *scopum principalem* illorum studiorum specialium, quemlibet eorum debere sese ita praeparare, ut in sua disciplina *egregie* fungi possit officio *magistri et scriptoris.*

62. Apta quoque adhibenda est methodus singulis disciplinis propria. Qua in re praesertim illa norma adoptanda videtur, ut etiam Nostri sequantur methodum, quam passim etiam ab externis et ab aliis Institutis vel Universitatibus praesertim catholicis in his disciplinis rationabiliter observari vident v. g. in praelectionibus et seminariis frequentandis, in examinibus subeundis, in aliis exercitiis viva voce et scripto faciendis, quemadmodum iam diu receptum est Romae in Universitate Gregoriana pro biennistis juris canonici atque mox introducetur pro biennistis biblicis, quibus coram Pontificia Commissione biblica examina subeunda erunt pro gradu Licentiati vel Doctoris biblici. Alia in specie ordinanda sunt instructionibus unicuique disciplinae magis accommodatis; praesertim vero Superiores et Professores curent, ut singuli biennistae iuxta reg. 14. cit. instit. rite dirigantur in studiis particularibus, ad quas se natura magis propensos esse senserint.

Ordo lectionum pro studiis **philosophicis** Collegii Valkenburg Provinciae Germaniae.

Horae	Fer. II.	Fer. III.	Fer. IV.	Fer. V.	Fer. VI.	Sabb.
			Anno primo.			
$8^1/_2-9^1/_2$	Rhetorica	Idem		Idem	Idem	Idem per exerc. rhetor.
$9^1/_2-10^1/_2$	Logica et Ontologia	Idem		Idem	Idem. altero semestr. critic. histor.	Logia et Ontolog.
$10^3/_4-11^{37}$	Chimia vel Biologia alternis annis				Chimia vel Biol. altern. annis.	Mineral. Christal-log. vel Geologia altern. annis.
$2^1/_4-3$						Schola Anglica
$3-4$	Logica et Ontologia	Idem		Idem		Idem (Sabbatina.)
$5^3/_4-6^3/_4$	Circulus philosophicus	Exerc. pract. Rhetoricae	1° sem. Aca-demia	Circulus philosoph.	Circul. philosoph. altero sem. exercit. historiae criticae	
			Anno secundo.			
$8^1/_2-9^1/_2$	Cosmologia	Idem		Idem	Idem. Sabbatina altern.	Psychologia *empirica.*
$9^1/_2-10^1/_2$	Mathes. superior— Linguae graec. latin.	Phys. super. Ling. orient.		Phys. sup. Ling. graec. lat.	Mathes. superior Ling. graec. latin. (Ling. orient.?)	Physica superior Ling. graec. latin.
$10^3/_4-11^{37}$	Chimia vel Biologia alternis annis	Circulus philosoph.		Circulus philosoph.	Chimia vel Biol. altern. annis	Mineral. Christal-log. vel Geologia alternis annis
$2^1/_4-3$						Schola Anglica
$3-4$	Psychologia	Idem		Idem		Idem Sabbatina altern.
$5^3/_4-6^3/_4$		Exerc. pract. Rhetoricae	1° sem. Aca-demia		Circul. philos. vel exercitium	
			Anno tertio.			
$8^1/_2-9^1/_2$	Ethica	Idem		Idem	Idem	Idem Sabbatina altern.
$9^1/_2-10^1/_2$	Theodicea. lectio et disput. special.	Idem		Idem	Idem	Idem Sabbatina altern.
$10^3/_4-11^{37}$		Circulus philosoph.		Cursus liber Astronomiae	Circulus philosoph.	
$2^1/_4-3$						Schola Anglica
$3-4$	Historia philosophiae	1° sem. Paedag. 2° sem. Ars christiana		Histor. phil.		1° sem. Paedagog. 2° sem. Ars christiana
$5^3/_4-6^3/_4$	Circulus philosoph. vel exercitium.	Exerc. pract. Rhetoricae	1° sem. Aca-demia			Cursus liber Matheseos

Ordo lectionum pro studiis **theologicis** Collegii Valkenburg Provinciae Germaniae.

Anno primo.

Horae	Fer. II.	Fer. III.	Fer. IV.	Fer. V.	Fer. VI.	Sabb.	Dom.
$8\frac{1}{2}-9\frac{1}{2}$	Theol. fundam: de relig. revel. et s. Script. cum introd. gen.	Idem	Idem		Idem	Idem. Sabbatina alternat.	
$9\frac{1}{2}-10\frac{1}{2}$	Theol. moral. et pastoral.	de Sacrament. quaest. mor.	Theol. mor. et past.		Idem	Idem	
$10\frac{3}{4}-11^{37}$	Histor. eccl. cum archaeol. christ.	Idem	Idem		Idem	Idem	
$2\frac{1}{4}-3$	Circulus dogmat. (de theol. fundam.)		Circul. dogm. (de theol. mor. schol. tract.)				
$3-4$	de Sacramentis (dogmatice)		de Sacram. (dogmatice)		Idem	Idem. Sabbatina alternat.	
$5\frac{3}{4}-6\frac{3}{4}$		Circul. dogm. (de Sacram.)		1° semest. Academ.	½ hor. Coll. cas. theologorum	Academ. hebraica lib.	5½ Homiletic.

Anno secundo.

Horae	Fer. II.	Fer. III.	Fer. IV.	Fer. V.	Fer. VI.	Sabb.	Dom.
$8\frac{1}{2}-9\frac{1}{2}$	Theol. fundament: de Ecclesia et Tradit.	Idem	Idem		Idem	Idem. Sabbatina alternat.	
$9\frac{1}{2}-10\frac{1}{2}$	Theol. moral. et pastor.	de Sacram. quaest. mor.	Theol. mor. et past.		Idem	Idem	
$10\frac{3}{4}-11^{37}$	Instit. jur. eccl. et liturg. et artis catecheticae	Inst. canon.	Idem		Idem	Idem	
$2\frac{1}{4}-3$	Circulus dogm. (de Theol. fundam.)		Circul. theol. moral. schol. tract.				
$3-4$	de Sacramentis (dogmatice)		de Sacram. (dogmatice)		Idem	Idem. Sabbatina alternat.	
$5\frac{3}{4}-6\frac{3}{4}$		Circ. dogm. (de Sacram.)		1° sem. Academ.	½ hor. Coll. cas. theologorum	Academ. hebraic. lib.	5½ Homileticum

Anno tertio.

Horae	Fer. II.	Fer. III.	Fer. IV.	Fer. V.	Fer. VI.	Sabb.	Dom.
$8\frac{1}{2}-9\frac{1}{2}$	De Deo Uno et Trino	Idem	Idem		Idem	Idem. Sabbatina altern.	
$9\frac{1}{2}-10\frac{1}{2}$	Introductio special. et Exegesis.	Idem	Idem		Idem	hist. revel. hist. relig. arch. bibl. vel patrologia, alternis annis.	
$10\frac{3}{4}-11^{37}$	Circulus dogmat.						
$2\frac{1}{4}-3$							
$3-4$	De Deo creant., de Noviss.		de Deo creant. de Novissim.		Idem	Idem. Sabbatina altern.	
$5\frac{3}{4}-6\frac{3}{4}$		Circ. dogm.		1° sem. Academ.	$6\frac{1}{2}-7$ Coll. cas. domus		5½ Homileticum

Anno quarto.

Horae	Fer. II.	Fer. III.	Fer. IV.	Fer. V.	Fer. VI.	Sabb.	Dom.
$8\frac{1}{2}-9\frac{1}{2}$	De Verbo Incarnato; Mariologia.	Idem	Idem		Idem	Idem. Sabb. alternatim	
$9\frac{1}{2}-10\frac{1}{2}$	Introduct. special. et Exegesis.	Idem	Idem		Idem	hist. revel. hist. relig. arch. bibl. vel patrolog. alternis annis	
$10\frac{3}{4}-11^{37}$	Circul. dogmat.						
$2\frac{1}{4}-3$							
$3-4$	De Gratia et Virtutibus		De Gratia et Virtutibus		Idem	Idem. Sabbatina altern.	
$5\frac{3}{4}-6\frac{3}{4}$		Circul. dogm.		1° sem. Academ.	$6\frac{1}{2}-7$ Coll. cas. domus		5½ Homileticum

Ordo lectionum pro studiis **philosophicis** in Collegio Posoniensi Provinciae Austriaco-Hungaricae.

Horae	Fer. II.	Fer. III.	Fer. IV.	Fer. V.	Fer. VI.	Sabb.
			Anno primo.			
8–9 v. 9–10	(pro diverso tempore anni)			Acad. phil. 1° sem.		
9–10	Log. et Ont.	Idem	Idem		Log. et Ont. 2. sem. crit. hist.	Log. et Ont.
10–11	Biol.	chem. c. adj.[1])	Biol.		chem. c. adj.	Biol.[1])
3–4	Log. et Ont.		Idem		Idem	Idem v. Sabbatina
6–7	Repet. phil.		Idem		Repet. phil. 2. sem. semin. crit. hist.	
	Studium linguar. monarchiae: dieb. dom. et festis, Fer. III. V. et Sabb. $6^1/_2$—7 aliis diebus per $^1/_4$ h. tempore commodiori.					
			Anno secundo.			
8–9				Acad. phil. 1° sem.		
9–10	Astron.	Phys. et Math. **Curs. sup.** Ling. class.	Phys. et Math. **Curs. sup.** Ling. class.		Phys. et Math. **Curs. sup.** Ling. class.	Phys. et Math. **Curs. sup.** Ling. class.
10–11	Cosm.	Idem	psych. emp.[1])		Cosm.	Idem v. Sabb. altern.
11–11[40]		Semin. psych. emp.				
3–4	Psych. rat.		Idem		Idem	Idem v. Sabb. altern.
6–7	Repet. Cosm.		Rep. psych. rat.		Semin. Curs. Phys. Linguar.	
	Stud. ling. ut supra.					
			Anno tertio.			
8–9				Acad. phil. 1° sem.		
9–10	Theol. nat. etc.	Idem	Idem		Idem	Idem v. Sabb. altern.
10–11	Phil. mor.	Idem	Idem		Idem	Idem v. Sabb. altern.
11–11[40]						
3–4	Hist. phil.		1° sem. Paedag. 2° sem. Ars christ.		Hist. phil.	1° sem. Paedag. 2° sem. Ars christ.
6–7	Sem. Paedag. art. christ.		Rep. phil. mor.		Rep. Theol. nat.	
	Stud. ling. ut supra.					

[1]) Ex Chim. (Mineralog., Christallog., Geolog.) Biol. Psych. emp. identidem repetitiones v. exercitia pract. tempore lect. fiant.

Ordo lectionum pro studiis **philosophicis** in Collegio Posoniensi pro biennistis.

Horae	Fer. II.	Fer. III.	Fer. IV.	Fer. V.	Fer. VI.	Sabb.
Anno primo.						
9—10	Log. et Ont.	Idem	Idem		Idem	Idem
10—11	Phil. mor.	Idem	Idem		Idem	Idem
3—4	Log. et Ont.		Idem		Idem	Idem
6—7	Rep. Log. et Ont.		Rep. Phil. mor.		Rep. Log. et Ont.	
Anno secundo.						
9—10	Theol. nat. c. adj.	Idem	Idem		Idem	Idem
10—11	Cosm.	Idem	Psych. emp.		Cosm.	Idem
3—4	Psych. rat.		Idem		Idem	Idem
6—7	Rep. Cosm.		Rep. Psych. rat.		Rep. Theol. nat.	

63. Tandem libri aliaque subsidia litteraria biennistis ne desint. Ad quem finem quam maxime expedit, ut nostri biennistae, ad instar praxis Provinciae Angliae in civitate Oxoniensi, *stabiliter* in convenientem *locum* congregentur v. g. Romam praesertim pro studiis canonicis et biblicis, Oenipontum, Cracoviam, Lovanium, Monachium, Bonnam etc. pro studiis historicis et philologicis, ubi praeter alia commoda paulatim invenient bibliothecas optimis libris instructas. *Tempus* quoque congruum et diversis disciplinis proportionatum et ab *aliis laboribus* vacuum concedatur Scholasticis, qui istis studiis specialibus operam dare debent. Quare quemadmodum non est permittendum, ut ipsi pro suo arbitrio studia illa ultra tempus consuetum et legitimum protrahant, ita omnino caveatur, ne aetate nimis provecta vel simul aliis occupationibus onusti cum gravi periculo valetudinis hisce studiis atque adeo examinibus subeundis applicentur.

64. Omnibus vero attentis quatuor tantum genera studiorum specialium a nobis dispicienda et rite ordinanda sunt, scl.:

1. Studia specialia ad *formandos idoneos Professores,* qui in gymnasiis nostris praesertim iure publicitatis instructis, examine Status superato, legitimam obtineant licentiam docendi varias disciplinas profanas. At simul omni ope enitendum est, ut imprimis aptissimi formentur magistri, qui in gymnasio superiore et inferiore omni diligentia, optima methodo, veroque zelo apostolico tradant doctrinam christianam.

2. *Ad complenda et perficienda studia philosophica,* quatenus saltem ex parte ad hunc finem obtinendum studiis specialibus primi generis non iam fuerit provisum.

3. *Ad complenda et perficienda studia theologica* scl. *a)* ad theologiam fundamentalem vel dogmaticam, *b)* ad theologiam moralem, *c)* ad res biblicas, *d)* ad historiam ecclesiasticam vel theologiam historicam, *e)* ad jus canonicum.

4. *Ad concionatores formandos* ex iis Scholasticis, qui maiorem hac in re aptitudinem prae se ferunt et in humilitate bene sunt fundati, ideoque mox post philosophiam

ad theologiam mittendi (Cfr. Reg. 26. et 27. Provinc. in Rat. Stud.), ut deinde per biennium studio S. Scripturae, praeclarissimorum oratorum etc. et sanctae meditationi vacent (Instr. 2. 7.). Quo tempore illi iuniores Patres emerito cuidam concionatori essent adiungendi, qui eos in parandis et habendis concionibus diriget, ut a. 1868. fuit responsum. Denique quamvis a gravissimo illo abusu sit penitus abstinendum, quo hujusmodi biennistae occupentur ad instar ordinariorum operariorum, tamen aliquoties in anno cum alio quodam Patre ceu duce et comite ad praedicationes habendas mittantur, ut ea quae scripto paraverant, etiam viva voce exponant atque consiliis et monitis Patris ipsis in socium dati bene iuventur.

Appendix I.

De studiis eorum, qui sacerdotes in Societatem ingrediuntur.

65. Qui sacerdotes ingrediuntur, generatim secundum annum non amplius in domo Novitiatus transigant. At si quaeratur, quomodo et ubi secundus annus Novitiatus ipsis sit transigendus, distinguendum est triplex genus sacerdotum, qui in Societatem ingrediuntur secundum varia studia, quae iam peregerunt, et secundum haec diversum responsum dari debet.

66. Ac primo quidem sunt nonnulli, qui iam antea fecerunt formale quoddam examen ad gradum v. g. aliqui alumni Collegii Germanici et Hungarici, aut qui Doctoratu in theologia in aliqua Universitate insigniti a quatuor saltem Patribus testimonium iuramento firmatum obtinuerunt tanta illos instructos esse doctrina philosophica et theologica, quanta requiritur in nostro Instituto ad professionem quatuor votorum. Cfr. Congr. gen. XXIII. decr. 19. Hujusmodi sacerdotes statim post primum annum Novitiatus ad tertiam probationem transmittantur, nisi antea videatur biennium theologicum illis esse concedendum.

67. Secundo vero loco ii veniunt, qui, quamvis in aliqua Universitate vel Collegio Societatis universum curriculum nostrorum studiorum philosophicorum et theologicorum absolverint, tamen neque formale neque aequivalens examen ad gradum subierunt. Hi post primum annum Novitiatus studio theologico sunt applicandi, ut examen ad gradum praeparent. Itaque secundum annum inter nostros Scholasticos theologos transigant atque in fine anni simul cum aliis puncta ad gradum sumant; dein studiis theologicis persolutis, ad tertiam probationem sunt mittendi, nisi ipsis ad complendum biennium theologicum alter annus videatur esse concedendus. Eodem modo ii, quibus iuxta supra exposita examen ad gradum in Societate non amplius subeundum est, sed ad maiorem profectum in scientiis theologicis biennium theologicum concedendum videtur, post primum annum Novitiatus in Collegium theologicum mittantur, ut communem cum theologis vitam agant. Quae methodus si servetur etiam cum alumnis Collegii Germanici et Hungarici, multo melius spiritu Societatis imbuuntur.

68. Postremo loco sacerdotes sunt, qui post breviorem quemdam cursum seminaristicum quatuor annorum novitiatum ingrediuntur. Hi profecto secundo anno novitiatus non sunt iterum addicendi studiis humunitatis, sed statim transmittendi sunt ad philosophiam. Quod studium philosophicum non duret ultra biennium et ad solam fere philosophiam rationalem limitetur. Biennio vero completo, hujusmodi sacerdotes pro diverso exitu examinis ad cursum longiorem vel breviorem theologiae transeant. Praeterea ad theologiam repetendam regulariter duo tantum anni ipsis sunt concedendi et solummodo in casibus extraordinariis tres anni. Studiis absolutis integrum omnino debent peragere annum tertiae probationis. Quae ratio procedendi si servata fuerit, illi sacerdotes in veros formabuntur Jesuitas neque ad instar piorum sacerdotum saecularium per multos forte annos vivent in Societate.

Quod vero spectat examen ex universa theologia morali faciendum ab iis, qui sacerdotes in Societatem sunt ingressi, omnino curandum est, ut istud examen ab Instituto clare praescriptum nequaquam fiat pro forma,

leviter et sine debita severitate, v. g. in aliqua residentia, ubi vix apti examinatores reperiantur. Hinc servandus videtur mos Romanus, quo principale examen ex universa theologia morali omnino fieri debet in Collegio maximo sive Universitate Gregoriana coram legitimis examinatoribus eo tempore, quo illi Patres theologiam regulariter repetere debent. Quod examen non ultra primum annum biennii theol. est differendum, imo melius elapsis circiter duobus vel tribus mensibus primi anni esset subeundum, ne secus studium theologiae scholasticae detrimentum capiat. At hujusmodi Patres iam antea *provisorio* cuidam examini subiici possunt, quo constet, num saltem ad confessiones excipiendas in ordinariis quibusdam ministeriis habiles sint Qua in re ad formandum judicium illud *provisorium* inservire possunt etiam examina, quae in diversis dioecesibus fiunt pro „cura animarum". At vero tempus quo quis Novitiatum peragit, vel studiis rhetoricae et philosophiae vacat, non videtur esse aptum ad rigidius illud examen praeparandum ex universa theologia morali; sed magis convenire videtur tempus quod intercedit inter absolutam philosophiam et finem primi anni theologiae.

Appendix II.

De numero Candidatorum Societatis augendo.

69. Quaestio de numero candidatorum nostrorum augendo merito hic in discussionem adducta est. Nam quamvis vocatio religiosa sit donum divinae gratiae, tamen monente S. Apostolo Paulo: „Gratia Dei mecum", etiam in hoc negotio non excluditur, imo omnino requiritur cooperatio hominum, ut Societas nostra vere crescat numero virorum aptorum, non turba hominum inutilium. Cfr. Const. P. I. c. 1. lit. C. et P. VIII. c. 1. lit. B.

70. Ad quem finem obtinendum institutio alicuius seminarii candidatorum S. J. separati a gymnasiis nostris non videtur expedire. Nam praeter alias haud leves rationes militat illa gravis ratio, quod sit res nova in Societate et licet ab aliis ordinibus religiosis ob novam temporum conditionem, quae nova quoque requirat media, in praxim fuerit deducta, non illico etiam a Societate pro singulari suo Instituto est adoptanda. Etenim tamquam *„fortes milites"* et *„validi remiges"* terra marique vocati sumus in subsidium militantis Ecclesiae. Quae conditio nostra imprimis requirit veram, claram certamque vocationem ad Institutum nostrum; at ista seminaria candidatorum Societatis magnum videntur prae se ferre periculum simulatarum vocationum vel saltem artificialium; quare sicut plantae in vitreis domibus excultae non solent habere multum firmitatis, ita etiam vocationes hujusmodi non videntur esse satis solidae et fundatae.

71. Itaque alia media sunt applicanda ad illum scopum, in se optimum, assequendum. Atque inter haec media quam maxime naturalia *primo loco* recensenda sunt Collegia nostra cum Convictibus, in quibus tum interni tum externi scholares in pietate, bonis moribus atque universa vita *supernaturali* bene formantur, nec modis mere humanis educantur. Quare si ex Collegiis nostris raro aut numquam prodeunt candidati Societatis, Superiores non omittant in causas hujus facti singularis inquirere atque inter istas facile reperient forte praeter alia etiam illam, quod vitae illius supernaturalis, pietatis, bonorum morum non sufficiens habita fuerit cura. Quae cura si non fuerit neglecta, sponte sua exoptati fructus crescunt, quemadmodum proxime elapso autumno accidit in Belgio, ubi ex uno Collegio duodecim adolescentes Novitiatum nostrum sunt ingressi.

72. *Alterum medium* est frequens usus missionum popularium et exercitiorum spiritualium, in quibus Nostri non tantum verbo, sed praesertim *bono exemplo* praedicant. Nam teste experientia hisce mediis Societas nostra magis magisque agnoscitur atque adeo sub ea ratione, quae ipsi est maxime propria, scl. quod sit institutum apostolicum. Qua ex notitia sponte consequitur, pariter teste experientia, alterum commodum, quod tempore illorum ministeriorum ad nostram Societatem alliciantur non solum ferventes sacerdotes saeculares, sed etiam optimi studiosi

et validi artifices, quibus animus inest aliquid operandi ad gloriam Dei in missionibus. Atque haec intentio suscipiendi labores apostolicos unum est ex optimis indiciis verae vocationis ad nostram Societatem.

73. *Tertium medium* est institutio scholae apostolicae. Quae scholae apostolicae, uti constat ex declaratione Congreg. gen. XXIII. decr. 26., certe non sunt res Societatis propria, imo nisi bene dirigantur, suis periculis non carent, scl. falsarum vocationum religiosarum, superbiae cuiusdam asceticae, studiorum minus solidorum, aliorumque incommodorum. At ubi per optimam directionem illa pericula arceantur, sua utilitate non carent, et, licet non restringantur ad candidatos Societatis, tamen multos candidatos ad nostros Novitiatus transmittunt, ac praeterea ob ipsum nomen „apostolicae scholae" et generatim ob destinationem ad formandos missionarios etiam pro aliis institutis, odiosum illud nomen et rem odiosam „Seminarii candidatorum Societatis" vitant. Denique quamvis in compluribus Provinciis schola apostolica sit res nova, tamen in aliis Provinciis v. g. in Gallia, Hispania, Italia cum non levi fructu iam instituta est. Quare saltem deliberari potest, num schola quaedam apostolica convenienter etiam in aliqua Provincia erigatur, in qua hucusque nondum exstitit.

74. *Quartum medium* est institutio alicuius convictus pontificii, non mere dioecesani, qui cum aliquo ex nostris gymnasiis coniungatur, eo fine ut in eum unice recipiantur pueri et adolescentes, qui ad statum clericalem vel actu aspirant vel in classibus inferioribus saltem fundatam spem praebent ecclesiasticae vocationis, quemadmodum requiritur in Seminariis ex stricto iure Tridentino institutis, in quae pueri et adolescentes illa vocatione et spe status clericalis destituti omnino non sunt admittendi. Hujusmodi Seminaria minora puerorum (Knabenseminare) iam exstiterunt in antiqua Societate. Simile Seminarium clericale puerorum quandoque habent Patres Ordinis S. Benedicti. Item Patres Provinciae Germaniae in Brasilia magno cum fructu huiusmodi seminarium puerorum erexerunt, in quod studiosi vocationis saecularis omnino non admittuntur; etenim multi ex his seminaristis transierunt in seminarium maius, alii non pauci in Societatem ingressi sunt. Quae forma seminarii pontificii (päpstliches Knabenseminar) forte pro aliquibus regionibus, ut pro Austria, magis praestat quam schola apostolica. Nam vel ipsum nomen plus habet honoris et minus invidiae; porro relinquitur libertas in seligendo statu; nequaquam fit limitatio ad missiones adeundas, sed sufficit, ut quis aspiret ad statum clericalem sive in saeculo sive in religione; imo si quis a vocatione tandem deficere videatur, liber ei discessus ex tali seminario non impeditur.

75. *Quintum medium* haud spernendum praesertim in Provincia Austriaco-Hungarica est erectio unius vel alterius gymnasii privati, saltem pro externis, in diversis Provinciae regionibus. Quae gymnasia inferiora (Progymnasien, Untergymnasien, Lateinschulen, prout in diversis regionibus v. g. in Austria, Borussia, Bavaria, Wuerttembergia appellantur) teste experientia pueros bene et solide formant sine magno apparatu Professorum, et multas exinde vocationes ecclesiasticas progignunt. Porro in hisce gymnasiis inferioribus saltem legibus austriacis non requiritur, ut omnes magistri subierint examen Status, sed ad summum is, qui gymnasio inferiori ut Director praeest: neque etiam tam magnus numerus Patrum est necessarius, ut in Convictibus, sed pauci et practici et diligentes magistri sufficiunt. Si hujusmodi gymnasium uniri potest cum aliqua Residentia, ista deinde converti potest in Collegium inchoatum (4 vel 6 classium), quod reditibus stabilibus ex fundatione vel quasi fundatione gaudere potest. — Nihil etiam obstat, quominus Provincialis aut Rector alicuius Collegii, siquidem habeant sibi ad arbitrium permissa loca quaedam gratuita (Freistellen), pensiones benefactorum etc., illa pueris pauperibus in nostris Convictibus concedant, qui spem faciunt futurae vocationis ad Societatem, imo forte in quarta vel quinta classe hujusmodi vocationem actu jam habent. Qua ratione v. g. Patres Provinciae Angliae in suis quasi parochiis habent funda-

tiones pro pueris Ecclesiae (churchboys), quas concedunt pueris probis et ingenio praeditis suarum parochiarum in nostris Convictibus, atque non pauci ex illis pueris in nostris Convictibus educati nunc sunt optimi Patres Provinciae Angliae. — Simili praxi etiam in Provincia Germaniae aliqui candidati antequam Novitiatum ingrederentur, sumptibus Societatis, in secundo Convictu Feldkirchensi optimo cum successu ad examen maturitatis sese praeparaverunt.

76. Tandem curandum est, ut Societas, quemadmodum supra iam ex parte fuit expositum, semper magis magisque cognoscatur, idque imprimis fiat per bonum exemplum et actionem vere apostolicam, constantem, universalem praesertim per missiones, exercitia spiritualia et reliqua ministeria Societati propria. Ex his speciali mentione dignae sunt Congregationes Marianae virorum et iuvenum, quae si rite dirigantur, plurimum conferre possunt ad optimos candidatos pro Societate formandos. Accedere debet ars scribendi aptos libros de historia Societatis ejusque Instituto, de nostris Sanctis, operibus, missionibus etc.; nam teste experientia non paucae vocationes ex lectione hujusmodi librorum originem ducunt.

Quae media si cum prudentia parique diligentia et constantia fuerint adhibita. Deus non denegabit gratiam suam atque multos mittet operarios in vineam, quam sua providentia et Superiorum jussu unicuique Provinciae in campum amplissimum, non otii, sed *strenui constantisque laboris apostolici* commisit.

Ad Praepositos Provinciarum Austriaco-Hungaricae et Germaniae.

Reverendi in Xto. Patres!

P. X.

Una cum hisce litteris ad vos RR. PP. transmittimus Ordinationem Studiorum pro vestris Provinciis concinnatam atque a nobis solius interea tentaminis causa approbatam.

Cum vero mens nostra haud fuerit ordinationem studiorum jam nunc conficere plane definitivam et undequaque absolutam, idcirco in ea non omnia quae ad rationem studiorum pertinent, tractata invenietis, sed illa potissimum, quae spectata Provinciarum vestrarum nostraeque aetatis conditione, peculiarem in modum commendanda, declaranda atque ordinanda videbantur.

Quanta porro cum cura, quantoque Patrum bene peritorum consilio, hujus ordinationis opus susceptum atque elaboratum sit, vos ipsi RR. PP. optime nostis; quam ob rem merito sperandum est fore ut scopo, quem in studiis vestris ad Sanctae Sedis et Instituti nostri normam promovendis, omnes nobis praefiximus, uberiores in dies ac laetiores exitus respondeant.

Ad hunc autem finem nobis omnibus optatissimum ut securius perveniamus, in memoriam revocanda et nostra quasi propria usurpanda censuimus, quae A. R. P. Roothaan d. 25. Julii 1832., cum novam ederet studiorum rationem, sapienter monuit his verbis:

„Reliquum nunc est RR. PP., ut quae hic parata „vobis offerimus, studiose ac diligenter in opus deducan„tur. Licet enim quaedam in his nunc quidem nonnisi „temporaria sint, donec ipso usu atque experientia duce „quid fortasse immutandum, quid adjungendum, quid tol„lendum sit, appareat; si tamen, quod nondum definita „penitus ac stabilia sint, ideo segnius in actum dedu„cerentur, numquam posset de successu certum ferri judi-

„cium. Itaque Superiores executionem ut urgeant, vehe-„menter commendamus; designenturque in singulis Col-„legiis, qui successum hunc ipsum observent, et quid forte „incommodi alicubi occurrat, quid majoris commodi gratia „adhiberi posse videatur, adnotent, nobisque, quae illi „adnotaverint, Praepositi Provinciales cum suis Consul-„toribus considerata et expensa transmittant.“

Quae Praedecessoris nostri monita si non solum a vobis RR. PP., sed etiam a Collegiorum Rectoribus, a Studiorum Praefectis atque a Professoribus prae oculis habeantur, si probe considerentur fideliterque serventur, fieri vix poterit, ut nova haec studiorum ordinatio assiduo labore multisque ad Deum precibus elucubrata, fructus non referat amplissimos.

Commendo me SS. SS.

Romae die 24. Ianuarii 1909.

RRm. VVm.

Servus in Christo

Franciscus Xav. Wernz

Praep. Gen. S. J.

Typis Rudolphi Brzezowsky et filiorum, Viennae. 580·09.

INDEX.

(Numerus denotat §§. ordinationis.)

Caput IV. De studiis humanitatis et rhetoricae.

Caput V. De studiis philosophicis.

Paragr. I. De studiis philosophicis in genere.

Paragr. II. De studiis philosophicis per singulos annos triennii distribuendis.

Caput VI. De studiis theologicis.

Paragr. I. De studiis theologicis in genere.

Paragr. II. De studiis theologicis per singulos quadriennii annos ordinandis . . . . 53—56

(Pro Provincia Germaniae tantum.)

Caput VII. De studiis specialibus.

Appendix I. De studiis eorum, qui Sacerdotes in Societatem ingrediuntur.

Appendix II. De numero Candidatorum Societatis augendo.

Litterae A. R. P. N. ad Praepositos Provinciarum Austriaco-Hungaricae et Germaniae dd. 24. Jan. 1909.

Typis Rudolphi Brzezowsky et filiorum, Viennae. 580·09.

Typis Rudolphi Brzezowsky et Filiorum, Viennae.